



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Dominicus Conf. 4. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

se vel Anagniam vel Medicum D. Magnum nosse. Ut igitur nosceret, nocte insequenti cum morte luctanti Imp. spectandum se obtulit ipse Magnus & cum Magno VIRGO Maxima, monuitque PETRO crederet, medicinam morbo facturo. Accersitur igitur hic, & valetudini restituitur Michaël. Rogas, quâ medicinâ? Saluberrimo MARIE & Magni nomine. Pretium operæ porrò PETRVS suæ Anagniam hoc retulit, ut sumptus Imp. Michaël faceret in ædem maximam ædificandam suffectores. Sed neque hæc licet magnifica explere oculos potuit PETRI. Ad cæli igitur templa abiit. Eodem tendis? per nostra in illa itur. *Ex Ferrar.*

Exhibeamus nos sicut Dei ministros in multâ patientiâ, diffundentes odorem illius circumquaque, adversa tolerando: sicut enim aromata odorem suum, cum incenduntur, expandunt, sic in nobis quod virtutibus redolet, per patientiam innotescit. S. Laur. Just. lign. vitæ.

S. DOMINICUS CONF. 4. Augusti.

ALterum ecce orbis labantis columen DOMINICVM. Certè Innoc. Pont. Max. subjicere humeros ruinam meditati Lateranensi ædi vidit. Certè flagrantem à tergemino vitio orbem totidem telis castigaturo FILIO MATER clypeum cum FRANCISCO DOMINICVM objecit; ut jam minus mirer necdum natum sive ore facem, sive fronte stellam prætulisse. Et verò etiam hodie lucet in Filiis, qui dum sanctioribus rosis lilium (VIRGINEM) colunt, dignos se probant, quos (quemadmodum ipse DOMINICVS habuit videre) velut pullos suos nunc pallii sui alis foveat MAGNA MATER, nunc dormientes invisat benè precabunda. Illud omnium bono ex Virgine Divus intellexit,

lexit, toties advectionem pro nobis in cælis ad Filii pedes facere, quoties è terris ADVOCATAM solenni formulâ *clamamus*, ut qui rei non clamant, sibi, non Advocatæ adscribant, si pereant. Porro DOMINICVS quatuor omnino Infulas, quas alii tam studiosè capiti quærunt, generoso fastu pedibus ipse subdidit; ter noctu pœnas à tergo suo, pro se primùm, tum pro viventibus in graviore noxâ, demum pro agentibus in igne piaculari manibus expoposcit. Mitto in homines, dæmonas, adeoque Superos imperium; quippe cùm toties jam hos exoraret quos oraret. Illud memorandum, qui MARIÆ vixerat, non sine MARIA demortuum esse. Affuit hæc, neque sola, sed inter Filii & Cælitum comitatum ad astra abduxit. Viam inquiris? per Rosaria ivit DOMINICVS. *Ex vitâ.*

Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in viâ suâ, cujus peccatis deest ultor, & adest laudator. Major hinc ira Domini est: irritavit enim Dominum peccator. Ut ista patiatur: id est correctionis flagella non patiatur.
August. super Psal. 7.

DEDICATIO S. MARIÆ AD NIVES.

5. Augusti.

ANnus agebatur Christianus supra CCC. LXV. quando Romæ civis fuit patricii sanguinis, & huic JOANNES vocabulum. MARIAM puto expectas Mariane, cùm JOANNEM audis? Rem loqueris. Fuit huic conjux digna conjugis suo, fuere opes ingentes, sed spes natorum nulla, & in his etiam nepotum decollaverat. Tandem, quid ô! quid terris, ait JOANNES, ignobiles & mecum morituros hæredes quæro? quin cælo adscisco? & an explere dignioribus nominibus ceras possum?